

THE SAVRVS
POLITICORVM APHORISMORVM

IN QVO

PRINCIPVM, CONSILIARIORVM, AVLICORVM, LEGATORVM

institutio in Onofandri Strategicum siue de Imperatoris Institutione,
ad disciplinam Militarem spectantes.

ACCEDVNT SEORSIM

FACIS HISTORIARVM

CENTVRIÆ DVÆ,

QVARVM PRIMA CONTINET MORES DIVERSARVM GENTIVM,

altera Ritus sacros, ad intelligentiam cum profanarum, tum sacrarum Histo-
riarum, illarumque Studiosis apprime utilis.

AUCTORE

R. MO. NOB. D. IOANNE A CHOKIER DE SYRLET, CANONICO

Cathedralis Ecclesiae ac Vicario Leodiensi, Ser. mi Electoris Colonienfis Consiliario,
Abbati Seculari Ecclesiae Visetensis.

CVM INDICE GENITO VNI CAPITVVM, altero TERT. Principitissima.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud IOANNEM ANTONIVM KINCHIVM sub Monocrotto.

ANNO M. DC. LIII.

Cum Gratia & Privilegio. Cas. Maieft. Generab.



M L E C T O R I I
A M B E N E V O L O .

Veriloquium est, Sapiēti otij sui reddendam esse ratio-
nem, adeò vt in otio negotiosus semper esse debeat, et-
iam si in ludicris ipsis stylum sustineat. Fuēre qui Musi-
cam, vti Franciscus Scribanus; qui anserem, vti Magnus
ille Iulius Caesar Scaliger; qui Asinum, vti Ioannes Pas-
seratus, alij, qui alijs litterarum oblectamentis succisuis
horis operam nauarent. Si istud præclaris viris licuit, quidnō mihi iam
ē Senibus (quibus solet ignosci) capulari permittatur? nam licet anni-
culus fortē vitæ me admoncat vt sarcinulas colligam, (quod de se in-
quiebat eruditissimus Romanorum M. Varro) antequam è vitâ profi-
cisear, non eò tamen mihi otiaudum esse existimo, qui probè sciam
Senectutem, post cultum Religionis, foueri debere studijs litterarum,
præsertim turbulentis istis temporibus, quibus vix aliter reficiendia-
nimum senilis ætatis occasio datur. Fatiscentem tamen erigere, & so-
lari conatus sum lectunculis, quæ instar alimenti boni succi mihi
sucefferunt: nam vt præclarè Seneca inquit: *Alit lectio ingenium, & studio fa-*
tigatum non sine studio tamen reficit. Neque enim mihi vnquam ista laxamenti
ratio placuit, quâ nonnulli negotijs, aut studijs fatigati, chartulis luso-
rijs, aut fritillis sese implicant, fortassis non tam laxamenti, quàm lu-
celli gratiâ: mihi quidem solamen fuit, ex ijs quæ lectu videbantur iu-
cunda, proprijs chartulis notare, etiam si flosculis Rhetorum exornata
non essent: vt mihi liceat cum Macrobio Filio suo scribenti de Satur-
nalibus suis dicere, *Præsentis opus, non eloquentia ostentationem pollicetur, λόγους αὐτῶν*
οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ ἀφαιρῆσαι τὴν ἀσπιδίαν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀσπιδίαν ἀφαιρῆσαι τὴν ἀσπίδα. Itaque, meditata ista, ad
historias intelligendas alioqui vtilia, veluti magnæ curæ à me æquus
Lector non expectet, sed quicquid iucundum, & fortē cognitu dig-
num, circa Ritus priscos factos & profanos, stylo leuidenti, & inaffe-
ctato in schedas congeffi, benignè beneuolèque accipiat, ac valeat for-
liciter. Leodio 29. Augusti, 1650.



IOANNIS A CHOKIER DE SVRLET,

Canonici, ac Vicarij Generalis Leodiensis

FACIS HISTORIARVM,

Siue antiquorum Rituum cùm Profanorum,
cùm Sacrorum,

CENTURIA PRIMA.

CAPVT I.

Sermones qui in Conuiujs adhibendi? Mense Conui-

*uiorum quales? Quæsitum, vtrum Sexagenarij apud Romanos ius suffragij habuerint?
Sponsio super eâ refacta. Affirmatiua visa fortior, etsi non desint contra illam
validissima argumenta. Actio datur ex Sponsione.*



Cogelimum propè ætatis meæ annum continuis curis occupa-
tum, his studiorum ludicris in otio quandoque versantem, vnus
aliquis me fortasse reprehendet. Verùm æquior forsitan alius in a-
lia, vt spero, ibit, omnia centebitque negotiosos quandoque vi-
ros otiosis similes acroamata serijs miscuisse, quemadmodum de-
cus illud Philosophorum Aristoteles, qui lepidas exercitationes
Philosophicas partiri solebat in ferias, quæ post meridiem legebantur. Nimirum,
vt quam ingenij vim absumpserant seria, facetiora instaurarent, & vt Iurisconsul-
torum vtar verbo, redintegrarent. Cœpisti iam Lector sensum meum, modò isti-
us farinæ scripta lege, sed defecatus à curis. Stylum itaque sumo, & sub illius acu-
men committo, proponoque quæstionem non illepidam, & aptam mensis luben-
tiarum. Sermones enim in symposijs habendos esse dicitabat M. Varro apud A.
Gellium, nō super rebus illepidis, sed iucundis. Verba M. Varronis sunt ista: Nec lo-
quaces, inquit, conuiujs, nec multas legere oportet, quia eloquentia in foro & apud subsellia, si-
lentium verò, non in conuiuio, sed in cubiculo esse debet. Sermones igitur id tempus habendos
censeo, non super rebus anxiiis, aut tortuosis, sed iucundos, atque inuitabiles, & cum quadam ille-
cebrâ, & voluptate vtiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat, & ammius. Ita ille.

Lib. 13.
cap. 11.
No. 3.
Attic.

Hebræos, vt capite præcedenti diximus. Si autem dicas hoc loco non posse accipi pro annis quinquaginta, quod non curaretur an Adam eo spatio vitam acturus esset, cui vtique supra nongentos viuere contigit, respondeo, sicut non cogimur eam vocem pro quinquaginta annis accipere, ita nec pro æterna duratione, adeoque sine necessitate agnosceretur virtus aliqua supernaturalis ligno vitæ superaddita, cuius effectus rectè tribui potest gratiæ originali, quâ primum hominem præditum à Deo fuisse negare non possumus.

Poterat igitur arbor illa homini vitam non quidem in perpetuum, sed tamen quasi in immensum prorogare, reficiendo humidum radicale ob proportionem fructus illius cum facultate nutriente; vt tamen ita prorogaretur noluit Deus, ideoque à paradiso & accessu ligni vitæ prohibuit & exclusit, & ob hanc naturalem vim, secundum quam virtutem animæ supernaturalem coadiuuisset, ad causandam in corpore incorruptionis perpetuitatem, meritò dicitur à Chrysostomo fuisse in medio paradisi, tanquam præmium obedientiæ, sicut arbor mortis, vt inobedientiæ stipendium.

Atque hæc de immortalitate primi hominis in fœlici illo innocentie statu, & de eius adæquatâ causâ, deque virtute, ac naturâ arboris vitæ, pro coronide huius operis dicta sufficiant. Hanc autem cum primus ille parens noster (benigne Lector) immortalitatis prærogatiuam culpâ suâ stultè nobis eripuit; vtinam & tertinam aliquando beatorum illâ donemur in cœlesti paradiso, ad quam non minus misericorditer Deus nos omnes vocauit, quam à corporali illâ primos parentes iustè remouit, ac depulit.

FINIS.

Laus Deo, qui dedit hæc velle, & dedit perficere.

INDEX